



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

Parisiis, 1644

V. Qui confessores constituendi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15974

IMPERIUM
GREGORIVS LONDONIENSE. FRIDERICOVS II. IMP.
P. IX. HENRICVS III. R. ANGLIAE. 347

ANNO CHRISTI 1337 personaliter illud mysterium solennizet , & diebus baptizet solenniter memoratis , & in aliis mundi partibus seruet ecclesia illud idem. Quare statuimus , vt a tanto errore prædicatione frequenti populus auertatur , & ad solennizandum præfatis diebus baptismum , & baptizandum pueros suos studiosius meditentur. Statuimus insuper vt parochiales presbyteri formam baptismi firmiter addiscentes , eam parochianis suis frequenter exponant diebus dominicis in vulgari , vt si articulus necessitatis emergat , quo ipsos aliquem oporteat baptizare , eam sciant & valeant obseruare ; quæ , vtrum seruata fuerint , inquirant postmodum diligenter.

I V.

Auditu horribili audiuiimus & relatu , quod quidam , scilicet miseri sacerdotes , dum forsan in beneficium vicariæ , vel ad firmam , seu quacumque alia quæstus causa , prouentus ex altari aut ex pœnitentia venientes recipiunt , non aliter admittunt ad pœnitentiam confitentes , nisi prius ab ipsis in sinu auaritiæ suæ quidpiam reponatur : sicque faciunt de aliis sacramentis. Quoniam igitur qui talia agunt regno Dei & beneficio ecclesiastico sunt indigni , statuendo districte præcipimus , vt inquisitione arctissima per episcopos de his facta , qui tale aliquid commisisse repertus fuerit , & a beneficio , quod obtinet , remoueatur omnino , & ab officio , quod perperam gessit , perpetuo suspendatur.

V.

Quod in quodam Concilio statutum inuenimus approbantes , statuimus , vt per quoslibet de-

Concil. Tom. 28.

Xx ij

canatus prudentes viri & fideles constituantur per episcopum confessores, quibus personæ & minores clerici confiteri valeant, qui decanis erubescunt confiteri forsitan & verentur. In ecclesiis vero cathedralibus confessores institui præcipimus generales.

V I.

Sacer ordo eo est digno dignius conferendus, quo ab ordinato sacramenta cetera conferuntur. Quare cum periculorum sit minus dignos, idiotas, illegitimos, irregulares, & extraneos, aut sine titulo certo & vero aliquos ordinari, statuimus ut ante collationem ordinum de his omnibus per episcopum indagatio diligens habeatur. Et ne reprobatis, qui fuerint reprobandi, approbatis, clanculo se valeant immiscere reprobati, in examinatione scribatur numerus & nomina approbatorum: & qui scripti fuerint, postmodum in ordinationis limine perlecta scriptura discretione sollicita requirantur, ipsaque scriptura apud episcopum vel ecclesiam conseruetur.

VII.

Ecclesiæ dari ad firmas, vel generaliter constitui vicarium in eisdem, nostra nequaquam volumus auctoritate fulciri. Sed propter infirmitatem multitudinis, quæ in causa est, ne videamur potius laqueos iniicere quam inuenire remedia, prohibitionis edictum contra ea emittere formidamus. Quibusdam tamen moribus ex eis orientibus ad nostram delatis notitiam occurrere coarctamur. Accidit enim plerumque, ut dum hi qui firmarii